

Il Sig. Abate Strozzi Canonico Fiorentino si compiaccia di vedere se nella presente Relazione si contenga cosa che repugni allo stamparla, e riferisca appresso, questo di 28. di Agosto 1637.

Vincenzo Rabatta Vic. di Firenze.

Io Ruberto Strozzi d'ordine di Monsig. Vicario hò veduto questa Relazione della Commedia, intitolata le Nozze degli Dei, & non hò ritrouato cosa, che sia d'impedimento alle stampe.

Atteso la presente relazione concedesi, che questa Relazione si possa stampare, osseruato però li soliti ordini. Dat. il dì 5. di Settembre 1637.

Vincenzo Rabatta Vic. di Firenze.

Adi 7. Settembre 1637.
Si può stampare. F. Gio. Inquisitore.


Alessandro Vettori Auditore di S. A. S.

XXX

Anon

Aduersus Iacobi Omphalii maledicta, pro Rege Francorum Christianissimo defensio.









Cum ante diem III.

Calend. Octobris Colonia discederẽ, vnáque ciuis vnus Treuerẽsis,& Poloni duo nobiles iter facerẽt: ecce nobis suauissime de rebus multis colloquentibus (vt ferè viatorum mos est) derepente aduenit Iacobus Omphalius, quem statim, vt decuit, omnes benignè salutauimus, paucáque primò inter nos de vrbis situ & aeris temperie: deinde Treuerensis ille: Quoniam,inquit, Omphali te nobis siue fortuna, siue deus aliquis comitẽ adiunxit, quem ea esse apud illustrissimum principẽ gratia intelligimus, vt grauioribus negotiis non intersis tantum,sed pro tua singulari prudentia & eruditione præsis:gratissimum nobis omnibus feceris (vt pro eis etiã loquar) si à capite orsus,Cleuẽsem causam explicaris. Audimus enim te, cum Cæsar in Germaniam venisset,deprecatorẽ,nunc in pacis & amicitiæ fœdere,quod inter eos initum est, conciliatorem & pene arbitrum fuisse:in quo(vt libere tecum agam)id ab omnibus reprehẽditur, quòd etsi à vobis fortasse tumultuãti propterea Germaniæ opem allatam videmus:satis tamen intelligitur sic Hispanos & Italos censere,timore vos & ignauia, non patriæ vtilitate adductos omnia Cæsari concessisse. Quæ vt minime fortasse digna sunt,in qui-

bus refellendis operam consumas: ita maxime ad tuam & Germanorum omnium dignitatē pertinet, certi aliquid extare, quod aduersus extraneorū calumnias opponamus. Res enim ipsa se quoquomodo tuetur, quòd Cleuēsis subditus & viribus longe inferior, cum domino & potētiore decertare noluerit: sed ipsum se ad pedes Cæsaris abiecisse supplicem, nescio quantum commodi attulerit, habuit certe dignitatis parum. Et nos, inquā, satis mirari non possumus quid principibus Germaniæ in mentem veniat, vt eiusmodi exēplum in se statuant, nō minus perniciosum, quàm inhonestum. Ad quæ omnia bene longa oratione respōdit Omphalius, cuius summa tantum capita attingam, quòd & otii mihi nō satis suppetat, & minime necessarium esse, aut ad rem pertinere ducam, singula persequi: in quibus ferè talium hominum oratio cōsumi solet. Primū id fuit, Regem Galliæ belli authorē fidem Cleuensi non seruasse: ipsúmque propterea ab omnibus proditum & destitutū, victoris leges, vel inuitum accepisse: in quo clementiæ Cæsaris luculentissimum extare testimonium, quòd ei quem perdere poterat, vltro pepercisset. Cancellarium ducis Cleuensis magnam eo nomine culpam sustinere, quòd induciarū pactum (quod principū quorūdam legati, in quibus & ipse Omphalius erat, magno negotio à Cæsarianis obtinuerant) teme

re repudiasset. Non fuisse æquum Principes Electores, reliquósque Germaniæ status (vt vocant), tam magnam eius belli nomine rerũ suarum iacturam facere, quòd amissa vectigalia & portoria, interclusa rerum omnium cõmercia essent: sine quibus vix se Germania sustentare posset. Deum Opt. Max. singulari quodam consilio eò Cleuensem redegisse, vt lasciuienti Germaniæ libertati frenũ iniiceret: quam eo facto imminutam omnes homines intelligerent: aut quod illi verisimilius videbatur, vt Cæsari nihil obstaret, quo minus adiunctis multorum regum & Principũ auxiliis Regẽ Galliæ regno statim exturbaret. Ipsum enim (vt in omnes parteis se vertat) nihil satis honestæ causæ cõminisci posse, quòd & Cæsari contra induciarum pacta bellum inferat, & Turcarũ auxiliis vtatur: quos ab eo in Parisiorum agro dispositos viri cuiusdam in Gallia authoritatis magnæ literis cõperisset. Non reprobare se eorum cõsilia, qui Christianos omnes in Regẽ Galliæ accendant: vt eo sublato (quod breui futurum augurabatur) cõmuni tandem tranquillitati & otio cõsuli possit. Hæc ego omnia cum audiuissem, percontari primò cœpi, qui vir hic Omphalius, quémque apud suos in Republ. locũ obtineret. Vt vero intellexi principis illustrissimi Coloniensis episcopi consiliarium esse, sícque in circulis omnibus, in conuiuiis, in Rep.

loqui, vt vel constans iudicium, vel proiecta audacia & improbitas, eo hominem perpellant, vt res falsissimas pro veris asserat, Christianiss. Regi conuicietur, consilia & inhonesta & inutilia principibus suggerat: hoc quodcunque est operis, institui: vt si errore & imprudentia lapsus sit, habeat quo se corrigat: si ambitione, auaritia, aut alia quapiam improbitate peccet, quo ab omnibus coarguatur. Non ignoro autē maximo mihi vitio verti posse, si impotenti quadam iracundia aut erga res Gallicas studio, hoc qualecūque tandem futurum est, certamen suscipiam: vt cōtra spero bonos omnes consideraturos me, cū simpliciter ad singula respōdebo, hoc tātum quæsiuisse, vt veritas (ex qua, vt diuinus ille Plato scribit, ceu fonte quodam bona omnia nascūtur) vt ea inquam, multorum hominū calumniis, perfidia, & insigni odio demersa, tandem aliquando respiret. Principes autem, ad quos adulatorum & improborum hominū contagio serpit, ex eóque periculum imminet, ne satis ipsi diligēter & caute rebus suis consulant, in hoc quasi speculo ipsi intueantur, quibus artibus se nōnulli insinuent, vt id tandem efficiant, ad quod eos ambitio, aut alia quæpiam cupiditas impellit. Quòd si talium hominum facta priuatis finibus concluderentur, neque in vulgi & imperitæ multitudinis oculos incurrerent, esset quoquomodo ferendum.

Nunc autem cum natura cõparatum esse videamus, vt eorũ iudicium & authoritatem lubentissime sequamur, qui aliquam de nobis statuẽdi potestatẽ habent, suscepta vero opinio vix conuelli aut labefactari possit: danda est igitur opera, ne nostra negligentia in hominum mentibus eiusmodi mendacia residere patiamur. Huc accedit, quòd in hac fragili & misera mortaliũ natura, nõ tam quisque quod putat esse verissimum exquirit, quàm libenter de altero credit, & improbis assentitur. Id quod hodie in hac Christianissimi regis causa perspici potest: & olim in Aristidis iudicio: quem cum Atheniẽses ostracismo ciuitate pellerent, inuentus est ex infima plebe quidam, qui ad ipsum testam adferret, qua exilii suffragia ferebantur, ab eóque peteret, vt nomen ipse suum (hominem enim de facie non nouerat) inscriberet. Quem cũ Aristides ipse interrogaret, an Aristidem nosset, cúrque eum cõdemnãdum duceret, à quo damni nihil vnquam accepisset: se nosse quidem negauit: sed propterea condemnare velle respõdit, quòd ex aliis ciuibus intelligeret eum sibi iusti cognomen asseruisse. Sic hodie tota Germania multæ contra Regem Christianiss. iniuriæ spargũtur, quòd vt grues ducem sequuntur, sic vulgus à potentioribus dicta excipit, aliisque tradit cum fœnore: ita vt sæpe industrii homines & probi fallantur. Quæ cum

ita ſe habeant,maximo digni ſunt odio, qui confictis mendaciis populo imponunt: ínque his maxime tui ſimiles Omphali, quorum facta aut dicta propter dignitatem obſcura eſſe aut latere non poſſunt. Vt enim gratiam Cæſaris aucuperis, populi plauſum captes, commodis tuis inſeruias, putas tamen ſic excæcatos eſſe principes, vt tandem non videant veſtra cõſilia eò pertinere, vt Chriſtianus orbis ruina incendium reſtinguat: hoc eſt ſe & reliquos principes perdant, dum Cæſaris potentiæ obſequuntur? Quid ſi alii haud ita tui ſtudioſi dixerint mirari ſe,vnde tam repentina commutatio acciderit, quòd tu illi, de quo honorifice prius & ſentiebas, & loquebaris, tam impotenter nunc maledicas? nimirum quod de Nicanore Philippus Macedo dicebat, In potentibus eſſe bene aut male à te audire.aut quod Cæditio Cato exprobrat, Fruſto panis hic conduci poteſt, vt taceat, vel loquatur. Quod vt minime verum puto, ita te etiam atque etiam expendere oportet, quam tu maleuolis de te loquendi occaſionem præbeas. Verba enim etſi minus lædunt,quàm facta:magis tamen illius mentem detegunt à quo dicuntur: quòd quiſque, vt Sirãnes Perſa dicebat,verborũ ſuorũ ſit dominus,factorum autem ſimul cum rege fortuna. Si igitur ita ſe res haberent vt tu loqueris, leuitatis tamen notam effugere non

posses, qui cum magistratum geras, aut in Rep. verseris, sic in principum famam irruas, tãquam vnus sis, ex quo reliquorum hominum iudiciũ pendeat. Cũ vero apertè falsa sint, quæ de Christianissimo Rege sparsisti, elige vtrum malis, improbum te exili & demisso animo, an vanum & socordem confiteri. Quod tibi non exprobro (à me enim omne maledictum aberit) sed sic tecũ ago, vt quiuis è populo, qui tibi fortasse tantum non tribuat, te neque diligat, neque veneretur. Is enim merito cum alia multa reprehendat, tũ id maxime quòd tu (vt periti artifices mentiendi facere solent) cum tibiipsi diffideres, extraneorũ testimonio & literis tanquam obsignatis tabulis nobiscũ egisti : quódque Demosthenes AEschini obiicit, in describendis locis & personis multus fuisti, vt aliquam confictæ orationi ex eo fidẽ astrueres. Quo quid turpius dici aut cogitari potest? si priuatim tibi scriptas ab amico literas proferres, neglecti officii culpa tenereris: falsum autem ei impingere, quem vitæ dignitas ab omni culpa & errore vindicet, cuíque tu amicũ te esse profitearis, impudentiæ plus habet, turpitudinis non minus. Iam vero quid attinet cõuitiis veluti è plaustro potentissimum Regem incessere? Si Cæsari ipsi inseruires, quem à Gallis controuersiæ & bella disiungũt, è tuáne esse dignitate existimares, sic in hostes incurrere, vt amicum læso

lent,quæ nullam famæ rationem habendã censent,dum quo possunt modo,hostes ipsæ suos vlciscantur?Laudatur meritò Alexander, quòd cũ quidam ipsius miles Dario malediceret,respondisse fertur, Non te alo vt Dario conuitia ingeras, sed vt contra eum pugnes. Inflãmant enim illa principum animos, & quasi furiæ, faces bellorum accendunt: quibus iam annis aliquot totus pene orbis conflagrauit. Omnes propterea hoc loco Germaniæ principes & hortor & moneo,vt pro antiqua generis nobilitate, fide,officio,& tot beneficiis cõfirmata cum Gallis societate & amicitia diligenter considerent, quid sit tandem ex talium hominum consiliis sequuturum: neque se transuersos ab his aut illis rapi patiantur. Id vero diligenter in primis perpendãt, quod ad eos maxime pertinet, excidia Regnorũ omnium, vrbium & populorum ruinas testari, nihil tam perniciosum in hominum vita posse accidere, quàm nimium vnius hominis potentiam augeri:in quem cum certatim omnes omnia conferant, aureis se compedibus vinciendos præbent,neque sentiunt se sic vndique constringi & illigari,vt illis effugiendi potestas nulla detur.Quemadmodum igitur Socrates se tam dementem fore negat,vt leoni barbam radere velit, sic recte & consulto mea quidẽ sententia facient,si ita se totos Cæsari non dedant: cuius hæ

artes ſunt vt tractari ſe tandiu patiatur, donec nullo diſcrimine in hoſtes & amicos ſæuire poſſit. Cuius rei etſi ſatis multa teſtimonia extant, conſtitui tamen cauſas bellorũ quibus Chriſtianus orbis conflictatur, breuiter & vere perſequi, vt & omnes homines intelligant nihil vnquam maluiſſe Chriſtianiſſimũ Regem quàm pacem: & ex eo viri boni proſpicere poſſint, quibus remediis ruenti propemodũ Reip. ſubueniri poſſit. Illæ enim ſunt Chriſtianorũ principum partes: eámque nos omnes curam & diligẽtiam adhibere oportet, vt diſſidia neque alamus neque confirmemus, ſed ſalutaria remedia quæramus, quibus ægra potentiorum mens, ſi non ſanari, at certe curari ſaltem poſſit. Quòd ſi refractariè & peruicaciter eam cauſam tueri velimus, in quam nos peruerſa cõſilia, vt ſæuiſſima quædam tempeſtas, abſtulerint, futurum eſt vt breui Chriſtianæ Reipub. interitus conſequatur. Vt enim omnes omniũ hominũ vires coeant, vt fœdera omnia & amicitiæ in vnius Galliæ caput & perniciẽ cõſpirent: nulla tamen ei inſignis calamitas afferri ſine Chriſtianorũ omniũ luctu facile poteſt. Quòd ſi pauliſper attendere Germaniæ principes velint, neq; ita vnius hominis potẽtiæ libertatem ſuã addicãt, vt ipſius nutu & imperio cũcta gerãtur, proſpicio ipſorũ prudẽtia & Chriſtianiſs. Regis moderatione otiũ & trãquillitatẽ

toto orbe cõstitutũ iri. Quod vt breui cõtingat, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM rogo & obtestor. Quoniam vero vsu comperimus quod Priuernas ille in Romanorum Senatu dixit, Iniustam pacem non fore diuturnam: belláque quotidie ex bellis serimus, dãda est diligẽter opera ne consutis dolis in speciem aliqua pacis fundamenta iaciamus. Ea enim sola est via, quæ ad quietem & tranquillitatem ferat. Cætera homines multo maioribus dãnis implicant, dũ se pacis aut induciarũ nomine delusos sentiunt. Vt igitur ad rẽ veniam. Quòd Christianissimũ Regem huius belli auctorem nominant, id vero dispiciamus. Agrum Mediolanensem iure ad ipsum pertinere, nemo eorum qui vsu aliquo in Rep. aut mediocri rerum cognitione sunt prædit negat, quod sciam. Nam & successio à Valẽtina Ioãnis Galeatii filia ad Franciscum Galliarum Regem id satis ostẽdit, & diplomata Maximiliani Cæsaris: quibus reiecto Sfortia, in fidem & clientelam Romani Imperii Ludouicum Regem Francorũ ex Statuum cõsilio accepit. Quæ si dubia essent, id tamen vel maleuolorũ cupiditati satisfaceret, quòd eius agri & ditionis controuersiã libere Germanis principibus disceptandã permisit. Quod facere nõ solent, qui ius in armis positum putant, omnéque iudicium defugiunt, quo ea quæ vi occupãt retinere possint. idipsum

ergo ius agri Mediolanēsis, cum ante annos circiter ſeptem merito armis ſibi Rex Chriſtianiſſimus vindicaret: quòd & Sfortia contra omniũ gẽtium iura legatum necaſſet, & Cæſar nulla laceſſitus iniuria tam hoſtiliter in Galliæ Regnum impreſſionem feciſſet. petente tamen Paulo III Pontifice Maximo, id totum Reipub. Chriſtianæ cōdonauit. Nam quòd prætexebat Cæſar ſe ideo arma ſumpſiſſe, quòd è dignitate Imperatoria eſſe cenſeret Sabaudiæ Ducem tueri, id vanum apparuit, cum ex iniuſta ipſius detentione, tum ex eo, quòd cauſam ſuā Rex Galliæ in publico Germaniæ cōſeſſu omnibus probauit. Quæ ideo breuiter percurro, quòd & vetera ſint, & ita recentiora conſilia mentem Imperatoris detegant, vt nullam earum rerum mentionem facere ſit neceſſe. Sicut ergo Gracchus ex itinere ſcripſit ſe animaduertiſſe comitiis conſularibus tabernaculum vitio captum fuiſſe: ita Imperator cum omnes pacis conditiones Niceæ repudiaſſet, & tãtum inducias cum Rege Chriſtianiſs. pactus fuiſſet, ex itinere reſcripſit cupere ſe cũ ipſo ad Aquas Mortuas colloqui, vt inter eos de ſumma rerum tandem aliquando conueniret. In quo ita ſe facilem, ita humanum præbuit Rex Chriſtianiſs. vt quanuis intelligeret id agi, vt re infecta multorum Principũ legatos dimitteret, qui tum fœderis percutiendi cauſa venerãt: maluerit

tamen de suo iure decedere, quàm quicquã causæ Cæsari præbere quo minus eo postea æquiore vteretur. Equidem animo maximum dolorem capio, cũ considero non perpẽdi singulare Gallorum studium ab illis maxime, qui tum apertè querebãtur prodi Europæ libertatem, quòd ambitioso principi ita multa Rex Christianiss. permitteret. Quæ tũ Dii boni Anglorum cõcursationes, quàm frequentes, quàm amicæ literæ? vt se in omnes partes vertebãt, ne à Gallis destituerentur? quàm cupiisset Angliæ Rex pensione illa (quã nunc ferociter postulat) decidere, quo præsidium cõtra eum compararet, quem fratrem & fœderatũ nominat? Sed sit sanè nulla constantis amicitiæ gratia, id in beneficii loco non ponat Angliæ Rex, quòd nunquã adduci potuit Gallus vt hostile quicquam contra eum moliretur, omnia humanitatis iura permisceat, imò obliuiscatur etiã si volet, orta in Anglia seditione præsens semper è Gallia auxiliũ fuisse: tã vecors tamen erit princeps ille mea sententia prudẽtissimus, vt suo se gladio iugulet, hoc est opibus suis eius potentiam confirmet, qui omnium hominum libertati insidiatur? Vos itẽ ô Illustrissimi principes cogitare conuenit, nũc cuniculis tentari libertatẽ vestram, quæ tum apertè oppugnabatur: atq; meminisse quæ tum sollicitudo, quæ trepidatio fuerit, quantus omnium metus: nec

obliuiſci, ſic ſe ſemper Gallum geſſiſſe, vt præ ſe tulerit, nullum ſe vnquam cum eo fœdus initurum, qui veſtræ libertatis expugnãdæ conſilium cepiſſet. Quòd ſi aliqua ratione orta inter vos diſſidia componi poſſent, fidem ſuam, diligentiã & authoritatem eſt pollicitus. Contrà, quid alii fecerint videamus. Cũ ita facilem nactus eſſet aduerſarium Cæſar, ſpes ei ſtatim iniecta eſt fallẽdi hominis, ſi ita ſe totũ componeret vt paci & otio conſulere, nullúmque non mouere lapidem videretur, quò firmam & æternam cũ eo amicitiam quibus poſſet officiis ſanciret. Latebat interim incluſum illud odium: quod, vt emiſſæ caueis immanes beſtiæ, magno poſtea impetu in Gallos erupit. Miſſo enim in Galliam Legato Sãcto Vinciano homine non tã verſuto quàm perfido, de contrahenda inter eos adfinitate, iungendíſque matrimonio liberis egit, compendiariam eſſe ad imponendum viam ratus, ſi montes & maria polliceretur. Non eſt difficile mentem Cæſaris indagare homini non omnino ſtupido, ſed tũ oculos præſtrinxerat Gallis, cũ quietis & otii ſpes, tum Reipub. Chriſtianæ amor, vt ſemel atque iterum deluſi, non intelligerent. Ad extremum verò, etſi neminem latebat quorſum Mæandri & anfractus conſiliorum pertinerent, nihil tamen honeſtius viſum eſt quàm beneficiis eũ & patientia vincere, vt partem aliquã

boni & æqui impetrarēt. Sed quid facias, vbi sūt intimis visceribus defixi ambitionis aculei? Vbi regnādi cupiditas hominem de statu deiicit, sensus omnes, animum, mentem totam occupat? Si perferas, magis ac magis accenditur: Si repugnes, mari cælo confundet: Si beneficiis emollias, humanitate mitiges, vt Chamæleon, se in omnes colores, præter album mutat: ita hæc dominandi libido quiduis potius, quā honesta consilia sectabitur: etsi apertè proficere nihil possit, ad fraudes & dolos cōfugiet. Quod extremū est in rebus mortalibus, necessitas fortasse cōpellat: at Cæsar ne tū quidē adduci potuit, vt de ingenio suo quicquā remitteret Gādauienses magistratuū iniuriis cōpulsi, indictionibus, tributis, vectigalibus exhausti, in summa rerū desperatione mori potius decreuerunt, quàm diutius Cæsaris imperiū perferre. Ad tumultū primo res venit, ex hinc seditio cōcitata: ad extremum bellū imminebat. Regina Maria, vt nunc minis, nūc precibus ageret, nihil proficiebat. Verū est enim quod Poeta ait, Tollas licet omne quod vsquā est Auri atque argenti: scutū gladiúmque relinques, Et iacula & galeam: spoliatis arma supersunt. Item alio loco, Furor est post omnia perdere naulum. Maiorū ergo gentiū Dii implorandi, qui perditis & profligatis rebus opem ferrent, permultum itē erat positum in celeritate. Vt enim flamma longius

ſerpendo vires acquirit: ita ſeditio, ſi non comprimas, paruis initiis profecta, magnum ſæpe excitat incendium. Cæſar igitur non eſſe cunctandum ratus, breuiſſimam eſſe ex Hiſpania in Belgicum viā ſciebat, ſi per Galliā iter faceret. Quod (vt paucis ſingula complectar) non ſolum obtinuit: ſed plaudente populo, ducente nobilium caterua, Rege etiam ipſo comitāte, feſtis vbique vocibus, inaudita & incredibili pecuniæ effuſione exceptus eſt. Putabat enim Rex Chriſtianiſs. ſe lætiſſimum diem videre, quòd obliterata bellorum memoria, omni vindictæ ardore extincto, perpetuæ pacis quaſi obſidem teneret. I nūc Omphali, & Gallum belli authorem nomina, qui naturæ, pacis ſtudio, vim intulit: ſublatum veneno filiū, ſummiſſos ſicarios qui eum in ſuo lectulo interficerent: hoſtilem in Galliam eruptionē: tot proditiones, tot maledicta obliuioni vel ſilētio potius tradidit: quò facilius paci, otio & trāquillitati conſuleret. Oſtentatione fœderis Gallici Cæſar ſubditos ſuos in miſerrimam ſeruitutem, qua & nunc premūtur, coegit: omnémque inuidiam tam tetri facinoris, tam acerbæ in Gādauenſes crudelitatis in Regem Chriſtianiſs. trāſtulit. Dicta omnia & promiſſa de Mediolano, de contrahenda adfinitate, facta neſcio cuius regni mētione, ſtatim eluſit: nec ex eo die deſtitit perniciē Galliæ & interitū, ſi res ex voto ſuccederet,

moliri. Eum autem nihil maluisse quàm bellũ etsi ex his quæ consequuta sunt perspici potest, non patiar tamẽ diutius homines in errore versari: & consilium Cæsaris aperiam. Hispani collata sæpenumero ingenti pecunia, expeditionẽ in Africam stipulati fuerant: vt tuta sua littora à Barbarossæ incursionibus & latrociniis essent. Germani itẽ imminente bello in Hungaria, merito postulabant vt Cæsar eò vires suas omnes cõuerteret: quod eũ haud dubiè fecisse decuit, qui eis tam multa polliceretur. Videbat igitur aut bellum sibi contra Turcas gerendũ fore, aut se multis artibus collectam Germanorum gratiam amissurum, quòd eos in tam præsenti periculo desereret. Mouebat in primis vtilitas, quòd priuatim nihil sibi eo bello acquireret: periculum autem esset, ne post decennium illud, quo induciarum tempus cedebat, Regi Christianiss. inops & afflictis rebus obiiceretur. Nihil itaque commodius visum est, quàm Regem vel inuitum ad belli cõsilia impellere: vt duorũ quæ tum sibi proponebat, alterutrum efficeret. Si vlla ratione perpelli posset Rex Christianiss. ipse caperet iniuriæ suæ fructũ: in eũ totius orbis odiũ concitaret: & ex Turcici fœderis suspicione inuidiã apud principes cõflaret: nihil denique nõ moliretur quo regnũ illud quod spe deuorarat, iterũ tentaret. Sin minus, paulatim Regẽ Galliæ, aliósq; Christianos

principes assuefaceret omnia perferre, quæcũque illi facere collibuisset. Nec eũ spes fefellit. sic enim rẽ aggressus est, vt necesse habuerit Rex Christianiss. armis iniuriã propulsare: aut suscepta ignauiæ & muliebris cuiusdã animi infamia & macula, magnũ rerum suarũ discrimen subire. Ad quæ antequam veniam, Illustrissimos & prudentissimos Germaniæ principes cõsiderare velim, quid comitiis Ratisbonensib. actum sit: vt luce clarius videant, nihil eum solidi aut expressi, sed præstigias quærere, quibus ipsis imponat. Vt enim nugatoria illa & sophistica de cõcordia religionis omittam, quibus nõ tam agebatur quid constitui pie aut doceri posset, quàm simulata quædam erga Germaniæ status & Papæ collegiũ voluntas: in negotio Turcico post hominũ memoriã callidissima ratione proposuit terra & mari bellũ cõtra Turcas gerendũ esse: vt sibi maris partes deposceret, terra autem grauiss. belli onus Germanis imponeret. In quo duo potissimũ sequebãtur: vnũ vt tanta belli mole oppressi Germani, ipsius iugũ detrectare non possent: alterũ vt aliquid nihilominus ipsorũ causa fecisse videretur, cũ nihil effecisset. Erat enim eos sumptus in bellũ Turcicũ imputaturus quos alioqui facere cogitur in Sicilia, Neapoli, tota Italia, in ea deniq; Hispaniæ parte quæ Africã tangit. Si bene & fœliciter res cecidisset, regnũ Hungariæ ipsius fratri

Ferdinãdo Germani restituerẽt, ipse portubus & mari potiretur. Euãgelicis principibus ita mul ta se facturum recepit, vt non plura Chares olim promiserit. Nũc Cleuensi victoria insolẽtior factus, bellũ eis minitatur. Nõ est quod olim prouerbio Athenis dicebatur, Theramenis cothurnus: sed Philippi cuiusdam Macedonis, aut Turcæ potius veteratoria & insignis calliditas, cum vtrosque ex æquo te amplecti simules: hunc bona spe confirmes, alterum deterreas: hunc nõ ames, alterum oderis: sic toto orbe seditiones, dissidia, bellum denique tuis artibus serere, vt profligatis & cõfectis omnibus solus imperes: ex nostris malis tua compares commoda: solus viuas: nos veluti vmbræ quædam exuctæ & exangues tuam aquilã circunuolitemus. Neque verò Cæsar Papam prius odisse cœpit, quàm Angliæ Rex ad ipsius partes accessit. Hunc porrò neque amare potest, neque diutius in ipsius amicitia mã surus est, quàm id conducere rationibus suis putabit. Quòd si par animo euẽtus sequatur, (quod Deus auertat) hunc ipse regno præcipitem, aut ipsius liberos dabit. Aliud nũc longè agitur, quã Brunsuicensis restitutio, in qua si insistere (vt spe ro) non possit, viam sibi cõtra Gallos præstruet, vt qua poterit ratione, id quod vult assequatur. Nunc vt ad rẽ redeã, quàm tetro, quàm immani facinore Christianiss. Regem vel inuitũ ad bellũ

Cæſariani impulerint, operæpretium eſt cogno ſcere, quò leuiora illa quæ Ratiſbonæ acta ſunt, melius perpēdi intelligiq́; poſſint. Primū quòd Sabaudiæ Duci Regis Chriſtianiſs. accuſandi locum Cæſar dedit, contrà, quàm præ ſe ferebat. Deinde vafro conſilio egit, vt libellus ille concordiæ, de qua inter eos qui Collocutores vocabantur, cōuenerat, ad ipſum Regem mitteretur: vt ſi probare ſe diceret, in Papæ odium incurreret: ſin minus, alterutrum ipſe Cæſar efficeret: aut eam à Germanis, quam cupiebat, gratiā iniret, quòd ſolus ea non improbaret: aut Gallum, vt tranquillitatis & concordiæ hoſtem inſectaretur. Tertium verò, vt nō eſt à multis animaduerſū, ita eximiæ cuiuſdā artis fuit, rogare Chriſtianos principes, vt ſimul cum ſacroſancto Imperio, pium illud & nunquam ſatis laudatum cō tra Turcas bellum ſuſciperent. quod & nūc agitur. Id verò perinde eſt, ac ſi Imperator omnes principes rogaret vt ipſe omnium humeris ſublatus, in monarchica illa ſella collocaretur, cuius adipiſcendæ cauſa nihil non faciēdum putat. Legatos duos Cæſarem Fregoſium ſupremi ordinis equitem & Rinconem eximiæ prudentiæ & auctoritatis virum interficiēdos, cū Venetias proficiſcerentur, curarunt. Cuius facti indignitatem cum ſuſtinere non poſſent, primo inficiati ſunt. Deinde cum Langæi opera ita inueſtigata & cō-

perta essent omnia, vt manifestè tenerentur, ad illud confugere, cuius specie velificantur: missos eos ad Turcas, atq; ideo iure vt Christianæ Reip. hostes, interfectos fuisse. Quod falsissimum esse vel id satis ostendit, quòd mandatorum commẽtarios non euulgarunt, homines alioqui ita in spargendis rumoribus exercitati, vt dubium reliquerint quibus in rebus eis fides potissimum haberi debeat. Id enim mendaciis consequuti sunt, vt eis, etiam si verum dicant, nõ credatur. Si igitur ipsorum opera è medio sublati sunt, non refugiant, non tergiuersentur: sed factũ agnoscant, dum iure probent legatos, qui publica fide & induciis freti, sine cuiusquam iniuria proficiscuntur, indicta causa necari posse. Sed illud ridiculũ, quòd omnem huius facinoris suspicionem à se amoliri contendunt, & interim deprehensos esse commentarios affirmãt, quibus ad Turcam mãdata cõtinebantur. Sed vt illud vobis dem, quod prius asseuerare non potestis, quàm de vestro scelere confiteamini, aliquanto tamen clarius explicate cuiusmodi mãdata fuerint. Non enim si ad Turcam legati proficiscebantur, idcirco aliquid moliebãtur contra Remp. Aliter enim quid Papæ, Venetis, Polono, imò quid ipsius Cæsaris fratri faciatis, qui tam abiectè (ne quid aliud dicam) à Turca petiit vt sibi Hũgariæ regnum imposito tributo concederet? Sed vt in huius causæ arcem

inuadam: Si tam amans pacis fuit Cæsar, quàm videri vult, cur tũ cũ Christianissimo Rege non expostulauit? cur ad id statim prosiluit, quod extremum esse solet, vt si alia ratione nobis non satisfiat, rem gladio vindicemus? Expendite nunc vtiliúsne Reip. fuerit legatos dimitti, an funestissimum toto orbe incendium concitare: aut honestius Achillæ, Tolumnii, Ariouisti (qui ex omni fere hominum memoria soli legatos interfecisse recẽsentur) exemplum vsurpare, quàm id, quicquid erat, contra eos odii, remittere: atque vindicta potiorem ducere Reipub. tranquillitatem? Ne autem homines suspensos teneam, explicabo breuiter quid à Turca Rex Galliæ petat, & quæ tum ad eum mittendi causa fuerit: vt intelligi possit, eum, qui simulatione hostẽ se Turcæ haberi vult, plus malorum in Rẽp. inuexisse, quàm vt ei vlla ope, nisi diuinitus auxilii quippiam affulserit, subueniri queat. vt contra, is qui Turcici fœderis inuidia flagrat, nulla alia causa adductus oblatam à Turca pacis & qualiscunque amicitiæ coniunctionem non repudiauit, quàm quo laboranti Reip. mederetur. Illius igitur auspiciis, Cassiandri ductu, Germanus miles in Illyrico, ferro & fame absumptus est. Croatia ferè tota Dalmatiæ pars non exigua sub acerbissimum Turcarum iugum redacta, serò queritur se Anstiacorum imperio à Reip. Christianæ visceribus

auulſam fuiſſe:eiuſdem auſpiciis iterum Germanus exercitus in Pannonia(Brandēburgenſis ſcilicet fide & diligētia) dyſenteria,fame & phthiſi quadam periit. Hungaria tota(proh dolor)iſtorū temeritate, quæ veluti in præſidio pro Reip. ſalute excubabat: illa inquam nobis erepta, Turcæ imperium ferre cogitur. Vidit Ambracius ſinus fugatam Hiſpanorum & Venetorū claſſem: Caſtrum nouū in Illyrico,Africæ littora ad Algeram Chriſtiano ſanguine redundarūt. Sequuta eſt vaſtitas Germaniæ, Italorū trepidatio:&, vt Græco verſu complectare hoc imperante,

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Rex Chriſtianiſſimus cōtrà regnū pupillo, Hungariam Chriſtianæ Reipub. cōſeruare cupiebat, & id partim authoritate, partim ſuadendo perfecerat: ſi Ferdinādus Rex tam æquo animo legitimum Regē tuliſſet, quàm libenter Turcæ tributū obtulit, atque Germaniā in neceſſariā vitæ, dignitatis & fortunarum defenſionem,ſublato quaſi propugnaculo,cōiecit. Idem propemodū Venetis accidiſſet,niſi eos conſilio ſuo & authoritate Rex Galliæ ſubleuaſſet. Tradita tamen Nauplia & Monembaſi gens alioqui prudentiſſ. Cæſarianæ coniunctionis pœnas dedit. Cū item anno ſuperiore Rex Chriſtianiſſ. Spiræ conſiliū & fidele & reipub.ſalutare dediſſet, ne temere & non aliter conſtitutis rebus Germani aduerſus

Turcam bellum decernerent, vt Imperii & Germaniæ nomen apud exteros celebre & veluti sacrosanctum ab omni temeritatis & ignauiæ labe liberum intactúmque maneret: id literis publice Cæsar accusauit prodi Rempub. cõmunicasse Gallum cum Turca, fortunas & consilia questus est. Sed euentus docuit (quod sine magno animi dolore commemorare non possum) vter maiorem rerum suarũ, aut publicæ salutis & otii rationem habuisse videatur. Rex igitur Christianiss. omnem diligentiam adhibuit, vt tranquilla Germania, incolumi & florẽte Pannonia, pax toto orbe cõstitueretur. Cæsar variis artibus hãc perdidit: illam concitat, hortatur, rogat, vt bellũ Christianiss. Regi indicat, satis se genio non fecisse existimans, nisi quã iam externis bellis implicauerit, eam à potentissimi Regis amicitia & fœdere præterea diuellat. Quibus omnibus accedebat iniustissima comitatus Sancti Pauli occupatio: de quo in pacto induciarum disertè cautũ erat, vt eius possessio penes Regem Christianissimum esset. Atque ideo legatum ad Reginam Mariam, illius possessionis repetendæ causa misit, vt siquo modo suum tueri posset, armis non experiretur. Cui à Burgundico consilio id tantum post varias ludificationes respõsum est, Cæsaris Legatum esse in Gallia, à quo ista omnia petenda essent. Quòd si Regi Christianissimo non

satisfieret, daturos se operā pollicebantur vt Cæsar multa antè de suo iure concederet, quàm res ad belli discrimen deduceretur. Sed prodidit se statim simulatio, planúmq; fecit, nihil eos malle quàm bellum: cum tam studiosè omnia conquirerent, quæ ad id spectare videbantur. Illa enim ipsa die grauissimo edicto sanxerunt vt omnes qui sectam Cæsaris non sequerentur, prouincia excederēt, aut fortunis omnibus & vita mulctarentur. In quo illud crudelissimum, quòd miseros ciues à domino suo desciscere coegerūt, aut exilii causa solū vertere. Turpissimū verò, quòd illud ipsum eo potissimum tempore faciendum censuere, quo amicitiæ speciem præ se ferebant. De iurisdictione episcopi Morinensis, quam Cæsar nescio quo prætextu interuerterat, idem planè responsum legatus tulit: cum interea se probaturum diceret diploma illud Romanum, quo solo ipsi nitebantur, per surreptionē (vt Iuriscōsulti vocant) cōcessum fuisse. Quòd si id in summi cuiusdā beneficii loco Papa Cæsari deferret, non posse tamen eum sine totius Ecclesiæ consensu receptam tot seculis prouinciarum cōmutare diuisionem. Equidem multum mihi effecisse videor, quòd in quo maxime Cæsariani se iactant, in eo ipso non minus turpiter eos mentiri, quàm improbe se gesserint docui, eo potissimum nomine, quòd eis detracta in posterum

fides videtur. Nam quòd destitutum à Christianissimo Rege Cleuēsem dicunt, etsi ex eo falsum esse cōuinci potest quod ille scripto in Germania diuulgauit, aliquanto tamen mitius agam, ne beneficium illi exprobrare videar: breuitérque demōstrabo vter immeritò ab altero desertum se & proditum dicat. Iam inde ab initio belli, quod illi Cæsar contra omniū gentiū iura intulerat, amicos suos rogare in Germania Rex Christianissimus nō destitit, vt ei in rebus omnibus auxilium ferrent. Ipse porro cū vigintiquinque millia aureorum in singulos menses suppeditasset: ad extremum vt intellexit Cæsarem tantis copiis, quantas ipse in Hispania, Italia, & tota ferè Germania cōtrahere potuerat, hostilem admodum in Iuliacum impressionem fecisse, maluit sua prædæ & incendio obiicere, quàm illum vel minimam rerum suarum iacturam facere. Itaq; relicta Picardia, rebus omnibus secunde & prospere fluentibus, Luxemburgum exercitum eo animo traduxit, vt procurata re frumentaria, quàm posset maximis itineribus eò cōtenderet vbi Cæsar obsidionē soluere aut prælio decertare cogeretur. Sed ea nihil profuerūt: ita dux Cleuensis siue ignorantia incautus, siue metu coactus, in seruitutē & exitiū præceps ruebat. Prius enim de deditione auditum est, quàm vt ei vlla ratione ab amicis subueniri posset. In quo illud

ſatis mirari nō poſſum, quòd adfinitatis, fœderū & conſanguineorū amicitiæ immemor, eo ipſo tēpore quo abiectè libertatē ſuam addixit, quinquaginta coronatorū millia à Chriſtianiſſimo Rege accipere nō dubitauit, cū tamē ei hoſtem ſe fore in poſterū Cæſari promiſiſſet. Quæ omnia vt culpare nō inſtitui (ſatis enim per ſe cuiuſmodi ſint oſtendunt) ita magnū animo dolorē capio, cū conſidero, nō ſatis perpendi quantum inter antiquā Germanorū fortitudinē atque prudentiā, & noſtrorum hominū tarditatem aut ſimulationē potius interſit. Illos enim omnes hiſtoriæ teſtantur, vitam ſæpe pro libertate, magna cum laude poſuiſſe: hi verò in beneficii loco ponūt, quòd Cleuenſis amiſſa libertate, direptis fortunis, eius beneficio viuat, cui longe plura ſponte tradidit, quàm ei fortuna adimere potuiſſet, vt ſe totā in Cæſaris ſinum abdidiſſet. Nō vidēt (vt obiter ad alterū Omphalii caput reſpōdeam) patefactā Cæſari viam, imminutā ſacroſancti Imperii dignitatē, nihil nunc obſtare quo minus cū volet, longe maiora moliatur: neque cōſiderant quàm alte inſitū contra quoſdam odiū in ipſius animo inſideat: quàm magno in metu victuri ſint qui vel latū vnguē ab eo diſceſſerūt. Si dolet, meminit: ſi placet, obliuiſcitur: ita verſutus eſt, vt quēlibet vultū ſibi affingat: perſonā rurſus cū vult, detrahit. eū vicini timent: hoſtes

formidāt:amici nō ſatis credunt:& vt vno verbo dicā, Dulcis inexpertis cultura potentis amici: Expertus metuit. Eum enim amare non potes,qui de te ſtatuendi poteſtatem habet: neque repugnare audes, cum te ex ipſius imperio explicare non poſſis.Quanto igitur ſatius erat, vectigalia,imò aras & focos pro nihilo ducere, quā ita ſe ſuáque omnia vnius arbitrio permittere, qui lubēter neminem liberū eſſe patiatur? Quid eſt autem,quòd laſciuientem Germaniæ libertatem eo facto compreſſam fuiſſe dicant? cum lōgè magis timendum ſit,ne non ſatis ſibi Germani caueant,quàm ne vanum ſibi metum ii cōfingere debeant,qui non ſentiunt vitam ſine libertate nullam eſſe. Neque verò Cancellarii factum reprehēdere debent, qui inducias aſpernatus eſt, cum maximo id nunc illi dent vitio, quòd tam iniuſtæ paci cōſenſerit, vt eum authorem & impulſorē fuiſſe non dicam. Res igitur ſic geſta eſt: Dux Cleuēſis ad conuentum Nurembergēſem Legatos miſerat, quibus id in primis mandatum fuerat, vt Ordinibus Germaniæ exponerēt,quàm crudeliter Cæſariani Ducatum Iuliacenſem (de quo nunquam controuerſia fuerat) cæde & incendio vaſtaſſent: nulláque vnquam ratione adduci potuiſſent,vt ex Imperii legibus & decretis, quæ aurea illa (vt vocant)bulla continentur,ſua in iudicio Cameræ aut principum cōcilio reped-

terent. Itaque rogarent eos primum vt publicæ tandem libertati consulerent, quæ tum à Cæsare oppugnaretur, cõtra quàm Francfordiæ dictum ab eo & promissum fuisset. Deinde ne diutius ma lum illud in Germania grassari sinerent, quod apertè Reip. interitum denuntiaret. Quòd si iustæ pacis conditiones ab Ordinibus proponerentur, nec Duci inhonestæ, nec toti Germaniæ inutiles: eas ipsi non repudiarẽt. Sin verò nihil boni atque æqui impetrare possent, auxilia ex antiquo principum Germaniæ fœdere postularent. Nihil æquius visum est, ita vt omnium animi ad pacis cõsilia inclinarent, si Cæsariani tolerabili aliqua conditione pacisci voluissent. Sed vt maior eorũ ambitio visa est, quàm vt ei mederi possent, nisi se Geldriæ & Iuliacensium Ducatu Cleuensis abdicaret: re quasi comperendinata, totum id negotium ad proximos conuentus reiecere. omnes se rè Germaniæ Ordines re infecta discesserant, cum ecce tibi Omphalius existit magna pacis simulatione, eam se controuersiam diremturum pollicetur. Aderant & alii, quos hominis species fallebat. Atque res tandem eò deducta est, vt Cæsarianis Cleuiæ Legati, domini sui nomine reddituros se ea omnia promiserint, quæ ipse iure belli occupasset: cum interim Iseberga oppidũ Cleuense, quod ceperant, Cæsari liberum maneret. Quinetiam quo maius fidei suæ testimoniũ ex-

taret, arcem ſuam munitiſſimam Sittart, de qua nulla eſſet controuerſia, Cæſari, relicto præterea in eius poteſtate induciarum tempore, permiſerunt: eoſdem ipſe Cleuenſis interim cum Cæſare hoſteis haberet, quod ſiniſtrè in Galliæ Regē detorquebant. Quibus omnibus id agebatur, vt ſe à Gallorum fœdere diſiungeret: ipſe ſibi perfidiæ & ingrati animi notam inureret: militē vel perpetuo alere cogeretur, vel omnia Cæſari permittere: imperii tutela ſe abdicaret: ſuorum libertatē proderet: in ſua denique ipſius cauſa præuaricaretur. At, inquies Omphali, nullo id vitio noſtro, ſed rei difficultate cōtigit: ita vbique Cleuēſi periculum imminebat. Ego verò honeſtius eſſe duco, intrepidum ſe morti offerre, quàm animo molli & effœminato præditum, ſic ſine laude viuere vt mori videaris. Nolim te, aut aliū quēpiam eius rei culpam ſuſtinere: tantum abeſt vt tibi crimen hoc impingam. ſed tamen qui tanta rei indignitate non commoueatur, is omnis ſenſus expers ſit neceſſe eſt. Huc accedit quòd milites Cleuēſes ferè numero Cæſarianis pares, certè robore & vſu longè ſuperiores, ita ad pugnam appoſiti fuerant, vt non dubiam omnibus victoriam pollicerentur. Sed vt poeta ait,

Ενθ' ὅτε δειλὸς ἀνὴρ, ὅτ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη,

Diuites eſſe ſine periculo & viuere volumus, ſatis & famæ & dignitati factū exiſtimamus, ſi o-

mnibus cõferti voluptatibus lucem hanc intueri possimus. O antiquam Germanorum virtutẽ, qui Imperatorum potestatem iuris & recti finibus concluserunt: nec cuiusquam libidinem eò excurrere passi sunt, vt sibi ius diceret, atque legibus solutus in aliorum fortunas temere grassaretur. Reuiuiscat nunc aliquis: & mulieres, pueros, senes, ab Hispanis abstrahi videat: domos inflammari: captiuos duci principes: sacra omnia & prophana violari, vt vnius hominis cupiditatẽ expleant: non erigat sese? non aduersetur? nõ mortem millies oppetere malit, quàm sic in seruitute viuere? Sed quoniam pax virtutis alumna, bonorum omnium parens est, & nutrix: ad otium & tranquillitatem consilia conuertamus: dũ pax sit eiusmodi quæ propè collapsam Remp. ab interitu vindicet: Turcam reprimat: Christianos denique principes firmissimis amicitiæ vinculis coniungat. In quo illud primo loco perpẽdere oportet, longe honestius esse & magis Christianæ religioni consentaneũ, eos tueri qui iniuria adfecti sunt, quàm vnius hominis cupiditatẽ explere, qui totius orbis Imperiũ spe deuorauit: atque recordari Ioan. Hungariæ Regẽ quem Oratores quidam in Germania (vt nunc Omphalius facit) tollendum de medio clamabant, cum ab Austraicis vndique premeretur, ad Turcarum auxilia confugisse, ex quo infinitæ propemodum in

Rempub. clades redundarunt. Eam esse hominibus ingenitam cupiditatē, vt quò plus possunt, eò plus appetant. nec facilius fieri posse, vt infinita Cæsari tribuendo, pace fruantur, quàm Rex Christianis. quanquā multis lacessītus iniuriis, in Germanorū fauore, amicitia, obseruātia nō acquiescat. Etenim si serio Reip. opitulari velimus, in eo vel in primis elaborandum est, vt quibus radicibus pax potissimum nititur, iustitia, fide, æquitate, eas nos eò altius principū animis infigamus, quò maius periculum imminet, ne hoc quasi morbo, recreata Resp. nouo postea tumultū conflictetur. Vt enim cōcurrāt omniū Christianorū auxilia, vt vrbes aliquot, oppida, aut arces expugnētur (quod fieri facilè non potest) vulnus certe accipiet Resp. nec prius Galli conquiescent, quàm id quicquid erit, iterum receperint. Id quod nunc immortalis de Mediolano controuersia declarat: quā multas vbique strages edidisse videmus. Quid ergo opus est (vt inquit Sophocles) ἄτῶν ἄλλοις ὑκεῖν, id est mutuis nos vulneribus confodere, cum Turca (qui nunc quasi ἔφεδρος & spectator, sed alacer & promptus sedet, vt vigens ipse & integer cum defatigatis luctetur) sic se cōparet, vt monere pii omnes debeāt Cæsarem, ne dum solus regnare cupit, se ac totam Remp. hosteis simul & amicos perdat. Si enim Regē Christianiss. contumeliis pergat adficere, nec exorari

ſe patiatur, vt aliena potius reſtituat, quàm ſumma rerum periclitetur: huic vitio verti non poterit, ſi ad exterorum conſilia confugiat. præſertim cum ſi ſua recuperet, Chriſtianæ Reip. fortunas, ſubditos & operam ſuam (ſiqua in re vſui eſſe poſſit) liberaliter deferat. In quo illud vel in primis conſiderandum eſt, ſic iam inde à centũ ferè ãnis cõparatũ eſſe in Gallia, vt externo milite magis, quàm ſuo Reges vtantur: quòd ea agricolarum & artificum opera deſeri aut intermitti non velint, ex quibus præſentiſſimum ipſi vectigal ſemper acceperũt. Cum igitur Germania quæ ſemper de milite accommodare ſolebat, nõ tantum ſuis illa militia interdicat, ſed quibus poteſt rebus præterea Cæſarẽ iuuet: non eſſe committendum Regi Francorũ vt inermem ſe & nudum tot hoſtibus obiiciat, ſed Græcos omnes citius, Sarmatas, Barbaros, Turcas in auxilium euocãdos, quàm regnum ipſe tot annis conſtitutũ, literis, opibus, cæli bonitate florentiſſimum diſſipari patiatur. Quòd ſi Cæſar eo ſit animo vt nihil tam cupiat, quàm imperii ſui fines propagare, hoc ſaltem cogitet, quanto ſit vtilius adiũctis aliorum principũ viribus, immaniſſ. hoſtẽ aggredi: quàm inteſtinis diſſidiis eius potẽtiam alere, qui ad Reip. perniciem natus, educatus & conſtitutus eſſe videatur. Quãtũ enim aduerſus Galliæ Regem poſſit efficere, vt ex aliis multis antea, &

nũc ex hoc perſpici potuit, quòd Landericũ oppi dulũ duabus horis à Gallis captum , duobus ipſe Mẽſibus obſedit & oppugnauit: tãtúmque abeſt vt expugnarit, vt quotidie maxima ab eis intra vallũ & foſſam dãna acceperit. Qua verò die, qua ſi teſtudo caput è caſtris extulit, vt alterũ oppidũ Goiſiã tentaret, tãta ferocia oppidani erupere, vt eum ſtatim in proximas ſyluas cõpulerint: nec prius fugæ finis factus eſt, quã interfecti cõplures, capti nobiliſs. Duces, & in his Ducis Ferrariæ fra ter, ſequentium impetũ repreſſerunt. Ad extremum Rex Chriſtianiſs. vt in ægrorum militum locum alios ſufficeret, commeatúque rerum omnium, quarũ penuria in oppido laborabatur, commodius iuuaret, caſtra ad arcem Cameracẽſem promouit. Quò cum perueniſſet, Cæſarem biduo obſidionem ſoluere coegit, factáq; ter pugnandi poteſtate, ſic ſe cum exercitu incolumi in Galliã recepit, vt Anglorũ, & aliorum equitũ leuis armaturæ omnes ferè Duces captiuos abduxerit: cũ tamen iniquo loco extremam ipſius aciem adorti fuiſſent. De Luxemburgo tantum id habeo dicere, oſtendiſſe Regẽ Galliæ, ſe id poſſe efficere, quod reliqui homines fieri non poſſe cenſebant: nec tam ſeuerè ad calculum exegiſſe, quàm Cæſariani ſolent, quàm vtilis eſſet Luxemburgi poſſeſſio: tantúmque id ſequutum eſſe, vt toti orbi planum faceret, nullo Gallos aut ſum-

ptu aut incõmodo deterreri quo minus id quod semel ipsis visum fuerit, ad extremum persequã-tur. De Furstenbergensi sic omnes homines iudicant, æquum fuisse vt pecuniæ partẽ quam tot hominum damno in Gallia cõparauerat, in hoc bellum insumeret: atque se cũ præclaro aliquo & insigni facinore Cæsari venditare cupit, sic gereret, vt ei proditionis nomine suspectus, cũ magna infamiæ nota ad pristinum illum lectulum redire cogeretur. Sed quid tam exile aut ieiunũ dici aut cogitari potest, quàm Cæsarẽ eorum opera vti quos sibi infensissimos fuisse cognouit? Anglorum auxilia sibi adiungere, à quibus familiæ suæ inustam ignominiæ maculã præ se fert? Landebergos, Rosseymos, Furstenbergenses, pollicitationibus & blande appellãdo pellicere, quos etsi extremo, vt par est, odio prosequatur, sic tamen vtilitatis spe sibi conciliet, vt iudicio eos & adfectu, nõ simulatione cõplecti videatur? Quæ cum ita sint, iam omnes intelligere arbitror Regis Christianissimi consilia & cogitationes non eò pertinere, quò Omphalius commemorauit: sed ad Christianæ Reip. pacem, tranquillitatem, dignitatem & amplificationem. Cæsarem contra id vnum agere & moliri, vt specioso quodam titulo Galliæ Daniæque Reges petat, expeditionis Burgundicæ aut Campaniæ prætextu Heluetiis & Lotharingis insidietur, quorũ ditiones inge-

nita ſibi & auita cupiditate ſpe deuorauit, vt faciliorem poſtea in Landgrauium & alios principes Illuſtriſſimos ſibi viam patefacere poſſit, & regnum illud ſuum Germanorum, quod iandudum ſibi deſpondet, conſtituere: etiam ſi omni eos humanitatis officio proſequatur, imò maieſtatis ſuæ faſces (quam ſacroſanctam Diis & hominibus videri vult) ſubmittat, quo iis artibus irretitos, ad extremũ ſibi parere cogat. Quo melius omnes communis periculi quod in eos intẽtatur, recordatione excitati facturi ſunt, ſi omnem diligẽtiam, operã, ſtudiúmque àbhibeant, vt ita rebus rationibúſque omnium conſulatur, vt Christiana Reſpub. & domi ab inteſtinis bellis ſoluta ac libera, & foris ab hoſtium incurſionibus tuta, eam tandem aliquando quam maiores noſtri pepererunt, recuperet dignitatem. Nã quod ad nos attinet, Deo Opt. Max. eiúſque filio ſeruatori noſtro IESV CHRISTO humili animo ſupplicamus, vt principum mentes ſuo inſtinctu ad hæc conſilia & ſuſcipienda & perficienda pertrahat.

OV LA, OV NON.

Z

MC